

Math. 27. laqueo se suspendit. Matth. 27. Dicitur autem possedisse figuratè, quia possedit pretium, quo emptus est...

QUÆSTIO XXXI.

Quare Judas ex suprema sorte Apostolatus sic ruit, ut à se ipso, & non ab alio tortore suspendatur?

Alit D. Petrus in præsentis de Juda: Sortitus est sortem ministerii hujus; id est, sorte accepit ministerium hoc Apostolatus; non quod Christus D. per sortes elegerit Judam, ac ceteros Apostolos...

Unde Clerici vocantur, qui segregati à laicis obsequio Domini deputantur, nam Clerus ex nomine Græco deductus, idem est, ac fors, ut observavit D. Hieronymus...

Cum ergo D. Petrus in præsentis dicat de Juda, sortitus est sortem ministerii hujus, scilicet, Apostolatus, Judas, sicut & ceteri Apostoli, habuit ministerium Apostolatus, evangelizavit, fecit prodigia, & miracula...

Ex tam supremo fastigio, ac sublimi sorte Apostolatus cadens Judas ad furcam tendit, & suspensus est, non ab alio tortore, sed à seipso, quod eleganter considerat S. Leo ser. 16. de Pass. sic ait: Tu impissime homo semen Chana, & non Judas, nec jam vas electionis...

tibi pauceres, vendidisti. & merito tibi tua pena est commissa, quia in supplicium tuum nemo savior potuit inveniri. Judas ob suum gravissimum crimen; & execrabile nefas supra omne nefas, quod suum Magistrum vendiderit, ad gravissimum supplicium damnatur...

De profano, ac impio Sedecia loquens Deus per Ezechielem cap. 21. n. 26. ait: Hac dicit Dominus Deus, aufer Cidarim, tolle coronam. Ecce Sedecias, privatus est utraque dignitate, & Pontificia dignitate, quam usurpavit, & regia, quæ erat hereditaria...

Cum Israël stupendo miraculo mare divisum transiret, Pharaeo cupiditate incensus; Dixit, persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea. Exod. 15. n. 9. & multis placet, & late explicat Agidius Archiepiscopus Bituricensis, lib. de regimine Principis...

QUÆSTIO XXXII.

Quare cum Judas suspenditur, diffunduntur omnia viscera ejus?

De omnibus, quæ ad Judam pertinent, & quod ipse se suspendit, sui que ipse fuerit tortor, ac omnia viscera ejus fuerint effusa, satis late tractavi tom. 5. in Evangelia lib. 8. cap. 5. Suspenditur Judas. Per octo quaestiones, quæ sunt videndæ, sed ne hic Textus in salutat permaneat, breviter aliquid hic adnotabo.

Referunt multi Authores ex Papiæ Oecumenio, Euth. ad c. 27. Math. & Oecumenius hic apud Glossam, quod Judas rupto laqueo adhuc Christo vivente supervixisset, & corpore magno tumore inflato, cum se movere non posset, cuncto occurrente, ac transeunte fuerit obstructus, & discerptus: tamen, ut existimo hoc non bene coheret cum præsentis Textu, ait Apostolus hic: Suspenditur crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Ac proinde juxta rigorem Textus, cum esset suspensus crepuit, ac diffusa sunt viscera. Sic & D. Math. cap. 27. n. 5. ait de Juda: Abiens laqueo se suspendit. Græcus strangulavit, id est, se suffocavit, & occidit.

Diffusa

Diffusa sunt viscera ejus. Similem mortem habuit perfidus Arrius, nam in latrina subito laxata alvo, effusus visceribus occubuit, ut referunt Socrates lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 25. Theodoret. lib. 1. cap. 11. Sozomen. lib. 2. cap. 18. D. Epiphani. lib. 2. contra Hæres. hæresi 68. de utraque morte Judæ & Arrij agens D. Ambros. lib. de fide cap. 9. ait: Cui credemus, Joanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio inter effusa se sua viscera volutanti, ut agnosceremus similem Judæ proditoris, Arrique fuisse perfidiam, quem similis pena damnavit: effusa sunt enim, & Arrij viscera, pudet dicere ubi. Atque ita crepuit medius prostratus in faciem, ea, quibus Christum negaverat, sæda ora pollutus. Qui enim similes fuerunt in delicto, similem reportarunt pœnam, & supplicium.

Impius ille Antiochus ob templum profanatum, & mala facta in Jerusalem similem sustinuit pœnam, ut dicitur Machab. 2. cap. 9. n. 5. Percussit eum Dominus insanabili, & invisibili plaga, apprehenditque eum dolor dirus viscerum, & amara interiorum tormenta. Ceperunt vermes de corpore ejus, ut doloribus carnes defluerent, illius fætor gravabatur exercitus, ut eum ferre non posset, ibidem n. 9. Quod simile Judæ contingit, nam ut refert Baronius tom. 1. Annal. anno Christi 34. ex Græcis Authores, ac ex Papiæ discipul. S. Joan. Apot. sanies, & vermes ex toto corpore Judæ contumeliosè fuisse confidentes, ita ut solum per sola loca secreta egredi possent. Unde factum esse dicunt, ut locus, in quo sepultus est Judas præ fætor non solum inhabitabilis, sed etiam inaccessible redderetur.

Crepuit medius, & diffusa sunt viscera ejus. Non prodierunt, & abjecta sunt ejus viscera per latera, ut communiter dicitur, sed per mediam, ut indicat Textus: In medio autem pectoris est cor ac proinde cum ipso corde, in quo tanta malitia, ac nequitia concepta fuit, simul effusa sunt omnia viscera. Dicitur in Psalm. 5. n. 10. Cor eorum quantum est, sepulchrum patens est guttur eorum. Lorinus ex Hebræo legit: Viscera eorum plena vanitate, & guttur eorum est tanquam sepulchrum, quod est locus proptium putredinem, quæ in corpore humano non potest capi, sicut dicitur Ecclesiast. 1. n. 3. 2. Et utant præcordia fœnentium.

Diffusa sunt viscera ejus, mille suspenduntur, ac strangulantur quibus nunquam tale contigit, cur ergo in solo execrabili Juda? Drogo Holtienis de sacramento Passionis: Quia per qua peccaverit homo, per hæc punietur, suspensus crepuit medius, plenus erat venter, & ruptus est. Judas gulosus erat, nummulos asportabat, & impatiens Apostolicæ sobrietatis, ipsos surripiebat, ex quibus furtiva prandia sibi parabat, quibus impletus venter, non patiens tanta capere rumpitur, & viscera foras profluit: Tot enim mala pariturit gula. Cum ignita voracitas Israelitarum ventris cibos Aegyptios appeteret. Misi Dominus in populum serpentes ignitos, Num. 21. n. 6. & quare immittuntur serpentes igniti; ut qui ex ignita ventris gula peccaverant, igne pereant, & per serpentes, ut cognoscant, quod ex consilio antiqui serpentis ex gula dato rota ruina generis humani est ingressa. D. Ephrem de Pœnit. In serpentibus correpti fuerunt, & quare in serpentibus? quoniam primorum parentum sensum, consiliumque præsumpserant.

Secundo Petrus Cellens. lib. de Panibus cap. 4. ait: Judas buccellam panis quidam azimi accepit, sed medius crepuit. Vis enim magna discernens mundum ab immundo in pane illo, cum stercorebus avaritia non patitur commorari. Auri cupiditas, & divini panis buccella, quam accepit Judas, Joan. 13. Non potuerunt simul in meo pectore retineri, sed necessarium erat, ut distumperetur avarus, qui auri avaritia repletus ausus est divinum sumere panem: Nam, ut ait citatus Drogo. Effusus viscerum significat, quod Judas, sicut inter plenus cupiditate, aut vas contumelia nimè probatur in fornace à sigulo, crepuit sicut vas luteum non bene compositum à sigulo juxta ignem frangitur, sic perfidus Judas vas luteum contumelia positum ad ignem divini panis, necessarium fuit, ut distumperetur, ita ut viscera foras profluerent.

Maxime ponderandum: Duo gravissima crimina in præsentis occasione commisit Judas, unum, quod suum sanctissimum Magistrum vendiderit, ac suis manibus pretium acceperit, & ipsum in manibus inimicorum tradiderit; Alterum, quod omnium primus sacram Eucharistiam panem indignissime acceperit, & tamen non punitur in manibus, in quibus pretium accepit, & Dominum Jesum ad crucifigendum tradidit, sed in visceribus, in quibus impudicè ausus est illum celestem panem intrmittere, ac si execrabilis fuisset nefas tam venerandum Sacramentum indignissime in visceribus immundissimis recondere, quam suis propriis manibus Dominum Jesum ad crucifigendum dare in potestatem suorum inimicorum; scribit Joan. 13. n. 2. Cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas. Solum dicitur, quod Diabolus ingressus est, ut Jesum traderet, & cur etiam non scribitur, quod etiam, ut Satanas ingressus est ad celestem pabulum indignè sumendum? Jam execrabile, ac horribile nefas est, quod Judas corpus sui Magistri, qui præ amore ei se dederat in alimentum, pollutâ suâ turpissimâ animâ fumeret: Ut moralissime dicam, quodammodo exhorruit Diabolus, ut hoc de eo publicaretur.

Tertio: Omnia adversantur, & insurgunt contra execrabilem Judam: Cælum, à quo non solum est excludus, sed nec ei permittitur id aspicere; legit Vatablus in præsentis: Dejecto capite, & in terram prono suspensus. Terra ab ejus pedibus fugit, quam suspensus non attigit. Aer eum deseruit, cujus defectu perit suffocatus: suam viscera eum ferre non possunt, sed foras erumpunt, & ipse tanquam venosa aranea exvisceratus perit, juxta illud Davidicum Psalm. 89. n. 10. Anni nostri, sicut aranea, medietabuntur. Id est, transibunt, ut multi Patres apud Lorinum: Aranea autem se exviscerando, ut scribit Plinius, moriuntur, sic & grandes peccatores solutis visceribus occumbunt.

Pulchre de morte magni peccatoris dicitur Ecclesiast. 8. n. 8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingrueute bello. In morte impii insurgit durissimum bellum domesticum, & extraneum ingrueute bello, ab extraneo sunt horribiles apparitiones, diri Ministri accusantes, formidabiles exercitus, ut eum deferant ad judicium, & detruant in Infernum, & carnificum copiarum invadentes, in toto corpore doloribus premuntur; intus mens tremula, judicium perturbatum, ratio obstupescit, conscientia accusans, & ex nulla parte est ei auxilium, ut habet Chaldaicum ad illa verba Ingrueute bello. Neque vasa armorum auxiliantur in prælio. Quæ omnia elegantissime describit D. Ephrem serm. in eos, qui in Christo obdormiunt, & sic ait: Repeute constringitur lingua, immutantur oculi, concussitur mens, quando Dominica copia, atque satellites advenierint, quando formidabiles exercitus invaserint, atque apprehenderint, quando inexorabiles apparitores in judicium nos trahentes detulerint, &c. Quod latius profequitur Sanctus Pater.

Et notum factum est omnibus habitantibus

C 4

bitantibus Ierusalem, ita ut ager ille appellaretur lingua eorum Haceldama, hoc est ager sanguinis.

Nam. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum fiat commemoratio eorum deserta, & non sit, qui habitet in ea, & Episcopatum ejus accipiat alter.

VERSIONES.

Syrus n. 19. Lingua Regionis Haceldama, cujus interpretatio est.

Arab. Factaque est fama ejus nota apud incolas Ierusalem, ita ut rus illud vocetur, & quod exprimitur rus sanguinis.

Ethiopic. Et audita fuit fama ejus, &c. & vocatum fuit pradium, & vocant illud idiomate proprio Phahadin.

Oecum. Ita ut appellaretur pradium illud.

Syrus n. 20. Fiat habitaculum desertum, & incola non sit in ea, & ministerium ejus accipiat alius.

Arabic. Fiat urbs ejus deserta, principatum ejus accipiat alter.

Græcus. Fiat commemoratio ejus deserta.

Ethiopic. Fiat Civitas solitaria.

D. Aug. lib. 1. de actis Fiat Villa illa. contra Tel. cap. 4.

EXPOSITIO X.

Omnia factum est. Id, quod Judæ contigit, ut appellaretur lingua eorum Haceldama, à lingua Syra verbum est derivatum; nam Judæi post reditum à captivitate lingua Syriaca corrupta multa loquebantur Ager sanguinis. Hæc interpretatio non est apposita à D. Petro, ut voluit Glossa Ordinaria, Hugo, & alij, nam Apostolus cum Syris Syriacè loquebatur, non erat necessaria nominis interpretatio, sed est addita à D. Luca, quia cum Græcis Græcè scriberet, in lingua Græca vocem est interpretatus.

Ager sanguinis. Judæi, ut norant D. Chryl. Theophyl. Euthim. nescientes, sicut Caiphas nesciens quod diceret prophetavit, Joan. 11. Sic Judæi nescientes alta Dei consilia campum illud appellaverunt Ager sanguinis, ut ibi tamquam in perenni memoriali esset inculcata nequitia execrabilis Judæ, quia pretio sanguinis Christi emptus est. De hoc multa dixi supra citato loco tom. 5. lib. 8. c. 5. q. 1. 1.

Scriptum est in libro Psalmorum. Suam doctrinam confirmat Apostolus auctoritate Psalmorum: Fiat commemoratio eorum deserta. Græcus legit in singulari: Fiat commemoratio ejus deserta, & ad Judam videtur referre D. Chryl. ibi sepultum, & sic ait: Quid enim desertius esse possit sepulchro, pro quo facit id, quod supra retuli, quia ob Judam ibi sepultum tam intolerabilis fuit fœtor, ut locus inhabitabilis redderetur: Glossa, & Beda referunt ad Judam in gehenna, nam ibi maximè deserta est ab omni humano loco, & dignitate. Tamen hunc locum ex Pl. 68. n. 2. 6. de suppliciis Judæorum interpretatur Rupert. Lyra, Caietan & alij communiter, quia eorum Civitas Ierusalem desolata, ac destructa, ac deserta facta est per Titum Vespasianum juxta illud Christi Domini: Relinquetur domus vestra deserta. Mathi. 23. num. 32.

Episcopatum ejus accipiat alter. Qui locus desumptus est ex Psalmo 108. n. 8. alij, ut videbis ex versionibus legunt pro Episcopatum, præfecturam, re-

gimen, vel principatum: Nomen autem Episcopus deducitur à radice Græca, & idem est, ac inspector, ac speculator, qui quasi inspector vigilat super aliquem. Hinc Azzi 2. Eldræ cap. 11. n. 22. vocatur Episcopus seu inspector, de quo latius egi in opusculis.

In hoc prædicto Psalmo 108. alij considerant triginta maledictiones fulminatæ in Judam ob triginta argenteos, quibus Christum vendidit. Prima constituit super eum peccatorem, ver. 6. id est impium, & tyrannum judicem. Secunda, Diabolus ster a dextris ejus. Ut calumniator, & accusator: Quarta, Oratio ejus fiat in peccatum. Oratio dånati, & desperandi non est ad remissionem, sed ad offensionem in Deum, & homines, & ita Theodoret. ex Chaldo venit: Oratio ejus sit in condemnationem. Quinta: Fiant dies ejus pauci, quia supra suam prodicionem paucis horis supervixit, laqueo se suspendit. Sexta: Episcopatum ejus accipiat alter: Ejus nempe principatum Apostolatus. Septima, Oitava: Fiant filij ejus erphani, & uxor ejus vidua. Quia ipsi pro sustentandis multum de rebus Apostolicis furabatur, ut notat ad citatum locum Psalm. Lyra, quia Judas fur, & latro erat Joan. 13. & sic de cæteris aliis maledictionibus.

QUÆSTIO XXIII.

Quare D. Petrus agens de pœna Iudæ, etiam Iudæorum pœnam commemorat?

Agens D. Petrus de pœna inflicta Judæ ob suum grande peccatum, quomodo alius erat subrogandus in ejus locum Apostolatus conjunxit ex diversis Psalmis diversa testimonia: Fiat habitatio eorum deserta, & non sit, qui habitet in ea. Psalm. 68. n. 2. Quæ maledictio fulminatur in Judam, ut dixi in Expositione. Alterum testimonium: Episcopatum ejus accipiat alter, Psalm. 108. n. 8. quæ execratio Iudam percussit, de quo hic Apostolus agit, ad quid Apostolus commiseret quod eorum regnum futurum esset deserendum, quod ad Iudæos spectat cū de solo Iudæ sit sermo.

Responde primo, Iudæi involuntur cum Iudæ in eodem crimine, & inde in eadem pœna; Iudæ tradidit Dominum Iesum ad comprehendendum, ac crucifigendum: Iudæi comprehenderunt, ac crucifixerunt: cum ergo Iudæ, & Iudæi essent in eodem crimine comprehens, simili pœna, & comminatione percipiuntur: Core, Dathan, & Abiron multa loquuti sunt contra Moysen, ob quæ iratus Dominus: Aperiens terra os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum. Numer. 16. n. 32. Cur non solum ipsi, sed etiam eorum filij, uxores, & adherentes? D. Isidor. relatus in Glossa ait: Comburentur non solum duces, sed etiam omnes complices, & fautores in æterno igne parata ultione peribunt.

Ad idem perbellè respondet Rupertus lib. 1. de intellectu cap. 1. & ait: Duo testimonia conjunxit, alterum de Psalmo centesimo octavo: Episcopatum ejus accipiat alter. Alterum pluraliter de sexagesimo octavo: Fiat habitatio eorum deserta. Proposuerat autem de uno singulari, sed hic addidit, & pluraliter, quid igitur nisi exortam in cordibus Apostolorum intellectibus lucem, hoc dicto sentimus. Iudam quidem, & infelices Iudæos, sicut eodem scelere involutos, sic & Iudæi, & Iudæorum peccatis simile eadem pœna & Iudæis contingeret; ut Episcopatus eorum habitatio deserta fieret. Ex diversis Psalmis Princeps Apostolorum

lorum conjunxit testimonia, unum, quod ad Judam spectabat, de quo in præfenti agebatur, alterum quod ad Iudæos, & ex eo tantum adducit, quia erant similes in crimine, & inde pœna, quæ cadit super unum peccatorem, alios etiam eodem crimine irretitos apprehendit: Iudam quidem, & infelices Iudæos, sicut eodem scelere involutos, sic & simili pœna significat addictos.

Transacto diluvio convenerunt Viri Magni, & proceres dicentes ad invicem: Venite faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum. Genes. 11. n. 4. quod fecerunt alterius diluvii metu, si forte veniret, ut vult Lyra. unde de eorum infania multum admiratur D. Chryl. Homil. 30. in Gevesim, & ait: Vide in quantum invaluit materia, habentes autem recentem memoriã generalis diluvij in tantam interius inciderunt insaniam. Maxime, ut contendit Abulensis, tunc adhuc erat vivus Noë, vel saltem filij ejus, à quibus erant edocendi, ac instruendi de verbo dato à Deo: Non erunt ultra aque diluvij ad delendam universam carnem, eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum, & reconabor fœderis sempiterni. Genes. 9. n. 15. si infallibilis divina promissio est facta, in cuius rei firmitatem arcus apparet in cælo, cur adhuc timent diluvium: Videbant se iisdem criminibus, ac peccatis, ut fuerant antea illi, ob quæ inundatio diluvij venit, illaqueatos, ac fœdatos, inde sibi ipsi similem pœnam metuebant: & nullo verbo Dei dato, nec signo in Cælo quiescebant, sed undique terrore diluvij conflagrabantur, & ideo ad turrim fabricandam confluunt. Philo Iudæus de confusione linguarum ait: Et quavis improbitissimi, ultricem tamen scelerum suorum Dei justiciam præfugiens, dicunt: priusquam disspemur adificemus nobis turrim, &c. Nota verba præfugiens ex propriis peccatis mala eventura.

Ar. 1. n. 21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Iesus.

V. 22. Incipiens à Baptismate Joannis, usque in diem, qua assumptus est à nobis, testes resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.

VERSIONES.

Syrac. n. 21. Necessè, ut unus, &c. qui fuerunt nobiscum, per hoc totum tempus, quo introiit.

Arabicus. Oportet, ut eligatis.

Ethiopic. Qui manserunt nobiscum.

Pagni. Qui nobiscum versati sunt.

Vatab. Vita consuetudinem egit nobiscum.

Syrus n. 22. Qui circumvit à Baptismo.

Arabicus. Ulque ad diem, quo elevavit se à nobis.

Oecum. Unusquispiam constituatur testis resurrectionis ejus nobiscum.

EXPOSITIO XI.

Vers. 21. Oportet ergo. Allegata scriptura ad propositum consequenter concludit D. Petrus intentum ad integrandum numerum Apostolicum, ne electio Magistris esset manca, & imperfecta ait Oecumenius: Qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, Syrus vertit: Qui fuerunt nobiscum per totum tempus. Solus ille bonus testis, qui opti-

me, ac apprimè agnoscat terti; quo intravit, & exivit. Ingressi, & egressi Hebraïsmus est significans totum vitæ cursum, ac conversationem, ac etiam actiones, sic ait Moyses Deuter. 3. n. 21. Non possum ultra egressi, & ingredi. Psalmus 120. n. 8. Dominus introitum tuum, & exitum tuum. Similiter 1. Reg. 18. n. 16. & 3. Reg. 3. n. 7. & 2. Paralypom. 8. n. 11.

Inter nos. Nobiscum est conversatus. explicat Glossa interlinealis. In ingressu locorum, & exitu semper existens: scilicet nobiscum semper prædicando, ac sanando. Dominus Iesus, Cardinalis Hugo ait: Bonus & fidelis servus, qui ut prius consueverat Christum Dominum vocare post Ascensionem etiam facit.

Vers. 22. Incipiens à Baptismate Joannis. Inde cepit Evangelium, ac Christum prædicare, prius cum Joannes demonstravit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Joan. 1. n. 29. Et Baptisatus ab ipso Spiritu Sancto super Christum descendit, & vox Patris audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Math. 3. n. 17. & inde Christus auspiciatus est suam prædicationem, & recte S. Petrus Apostolus testes gestorum Christi requirit: Incipiens à Baptismate Joannis; nam, ut observat D. Chryl. quæ antea facta fuerant, nemo noverat, nisi edoctus ab Spiritu Sancto, aut Sanctissima Virgine Maria manifestante, & inde multa, quæ circumferebantur de Infantia Salvatoris, ut apochrypha damnat Gelasius Papa. Cap. Sanct. Romana Ecclesia distinct. 11.

Testem Resurrectionis. Ac reliquorum mysteriorum Vitæ Christi, quæ in resurrectione, tanquam in suo fine, ac scopo, continentur; tum quia Judæi, ac infideles de ea maximè dubitabant; tum quia resurrectione Christi maximam auctoritatem, & fidem conciliabat Apostolorum prædicationi; tum quia resurrectione Christi tota spes nostra firmatur: ex resurrectione Christi infert Apostolus resurrectionem nostram 1. Corinth. 15. n. 13.

QUÆSTIO XXIV.

Quare tam sollicitus est D. Petrus, ut eligatur alius postolus.

Rationem literalem hujus quæstionis jam dedi in expositione, ut duodenarius numerus Apostolorum à Christo D. constitutus compleatur, ac perficiatur. Secundo in hoc ostendit D. Petrus suum solitum, ac divinum ingenium; quia in tanto apice Apostolico non vult esse solum, & paucos, sed & multos: quia etsi ad ejus sublimitatem magis pertineret esse paucos, tamen Ecclesiæ necessitas multos postulabat. Messis quidem multa operarij autem pauci. Et Petrus, ut bonus, & optimus Prælatas magis attendit ad bonum Ecclesiæ, ac suarum ovium, quam ad suam propriam auctoritatem, & commodum.

In primo rerum molimine dicitur: Plantaverat autem Dominus Paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, quem formaverat, ut operaretur, & custodiret illum. Genes. 2. n. 8. In isto Paradiso abundabant flores, Lilia, & Rosa valde odoriferæ, ex arboribus suavissima poma, dulces fructus: Nunquid homo ponitur in eo ut floribus delictetur, & pomorum fructus comedat. Minime, sed ut operetur, & custodiat illum, in quo, ut ait D. Ambros. in cap. 6. Apocalyp. designantur Ecclesiæ præfules, qui non eliguntur, ut de bonis Ecclesiæ delictentur, ac illa comedant, sed continuis laboribus operentur pro suarum ovium salute, ac perenni vigiliâ custodiant;